



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui in tabulis, aut in codicibus futura requirunt. xxvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

Quod non liceat cum incantationibus herbarum collectionem fieri. Cap. XX.

**N**on licet in collectione herbarum medicinalium aliquas obseruationes vel incantationes attendere, nisi tantum cum symbolo diuino, & Oratione dominica, ut Deus & dominus noster honoretur.

Ex eodē cap. 21.

De illis, qui ad arbores vel ad fontes faculas incenderint. Cap. XXI.

**S**i in alicuius presbyteri parochia infideles, aut faculas incenderint, aut arbores, aut fontes, aut saxa venerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegium se fecisse cognoscat, præsumptor aut hortator rei ipsius. Si admonitus hoc emendare neglexerit, communione priuetur.

Ex eodē cap. 22.

Ut uaticinatores cæsi de ciuitatibus eiiciantur.

Caput XXII.

**V**aticinatores, qui se futura scire dicunt, cæsi de ciuitate eiiciantur.

Ex cōcil. Aralatē.

De illis qui Phylacteriis utuntur. Cap. XXIII.

cap. 11.

**S**i quis ariolos, aruspice s, vel incantatores obseruauerit, aut phylacteriis usus fuerit, anathema sit.

Ex decr. Grego.

Item de mulierculis incantatricibus. XXIII.

**M**ulier si diuinationes vel incantationes diabolicas fecerit, annum vnum pœniteat, vel tres quadragesimas, vel quadraginta dies secundum qualitatem delicti.

Ex pœnitentiā Romano.

De illis qui manducant aut bibunt, aut portant super se aliquid ad Dei iudicium subuertendum. Cap. XXV.

**S**i aliquis manducat, aut bibit, aut portat super se unde existimat Dei iudicium peruertere posse, & exinde comprobatus fuerit, eadem sententia feriatur, qua magi, & arioli, & incantatores feriuntur.

Ex cōcil. Triburi. cap. 4.

De illis qui in tabulis aut in codicibus futura requirunt. Cap. XXVI.

**I**n tabulis vel codicibus sorte futura non sunt requirenda, & ut nullus in Psalterio, vel in Euangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus obseruare. Quod si fecerit, quadraginta dies pœniteat.

Ex pœnitentiā Theodo.